



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIV. De Doctrina Antichristi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

rij est, quod quia Antichristus erit superbissimus, & caput omnium superborum, ita vt non patiatur consortes; ideo quicumque indebito modo sibi aliquid vsurpat, & vult excedere, & eminere super alios, eum præcurrit; & tales erant Episcopi Constantinopolitani, qui cum initio Archiepiscopi tantum essent, sibi primò Patriarchatum, deinde titulum vniuersalis vsurpauerunt.

Pari ratione, cum ait Gregorius: *Sacerdotum ei præparatur exercitus*; non vult dicere sacerdotes, vt sacerdotes, ad exercitum Antichristi pertinere; sic enim seipsum etiam in illo exercitu collocasset: sed sacerdotes, vt superbos, Antichristo exercitum præparare. loquitur enim de eodem Ioanne, & ei similibus sacerdotibus, qui supra ceteros iniuste eleuabantur. Hinc autem non sequitur, Antichristum fore principem sacerdotum; sed fore principem superborum.

Ex hoc capite 6. habemus insigne argumentum, quod Papa non sit Antichristus; quandoquidem sedes eius non est in Hierusalem, nec in templo Salomonis. immò credibile est ab anno DC. nullum Pontificem Romanum fuisse vnquam Hierosolymis.

CAPVT XIV.

De doctrina Antichristi.

DE doctrina Antichristi maxima est inter nos & hæreticos controuersia. Constat quidem ex Scripturis, etiam aduersariorum testimonio, quatuor esse futura capita doctrinæ Antichristi. **PRIMUM** enim negabit Iesum esse Christum; & proinde oppugnabit omnia Saluatoris nostri instituta, vt Baptismum, Confirmationem, &c. & docebit nondum cessasse Circumcisionem, Sabbathum, & alias legis veteris caerimonias. *1. Ioan. 2. Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Et hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium, &c.* **DEINDE** ubi persuaserit nostrum Saluatorem non esse verum Christum, tunc asseret se esse verum Christum, in lege & Prophetis promissum. *Ioan. 5. Si quis venerit in nomine suo, illum recipietis, nimirum pro Messia.* **TERTIO** affirmabit se Deum esse, & pro Deo coli volet. *2. Thessal. 2. Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens*

dens se tanquam sit Deus. POSTREMO se non solum Deum
sed etiam solum se Deum esse dicet; & oppugnabit omnes
alios Deos; id est, tam Deum verum, quam etiam Deos falsos
& omnia idola. 2. Thess. 2. *Qui extollit se super omne quod lo-
citur Deus, aut quod colitur.* Et Daniel. 11. *Et Deum Patrum
suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit, quia
aduersum &niuersa consurget.*

Hæc omnia aliquo modo esse vera, & ad Antichristum per-
tinere, consentiunt nobiscum aduersarij; Sed quartio est
intelligentia horum quatuor capitum. Catholici enim sim-
pliciter intelligunt, ac vt verba Scripturæ sonant, Antichri-
stum negaturum verum Christum; seipsum Christum factu-
rum; se Deum prædicaturum; & omnes Deos alios, & idola
execraturum. Ex quibus sumuntur quatuor argumenta, quibus
Pontifex non sit Antichristus. Constat enim Pontificem nec
negare Iesum esse Christum, nec introducere circumcisionem
aut Sabbathum loco Baptismi, & diei Dominicæ; & similiter
constat Pontificem non se facere Christum, nec Deum; &
maximè constat, eum non se solum facere Deum, cum operetur
ipse colat Christum, & Trinitatem; & secundum aduersarios,
etiam idola colat; id est, imagines & Sanctos mortuos.

At aduersarij longè aliter hæc omnia interpretantur. *n. x. h. o. p. o. l. d. p. r. o. n. e. g. a. b. i. t.*
dicunt enim in primis Antichristum non negaturum verbo, &
palam Iesum esse Christum, & Baptismum, & alia Sacramen-
ta; sed negaturum opere: quia sub specie Christianismi, & Ec-
clesiæ, corrumpet doctrinam de Sacramentis, de Iustificatio-
ne, &c. Calvinus lib. 4. cap. 7. §. 25. *Colligimus, inquit, tyran-
dem Antichristi talem esse, qua nec Christi, nec Ecclesiæ
aboleat; sed potius Christi prætextu abutatur, & sub Ecclē-
siæ titulo velut larua delirescat.* Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2.
cap. 4. col. 435. *Ita quidem, inquit, vt constet, (regnum An-
tichristi) doctrina Christum profitente, sed tamen eius mē-
sum, & officium abnegante.* Et infra: *Ioannes, inquit, asser-
dit Antichristum negaturum, Christum in carne & emisse; hoc
est, Christum in sua carne integrè nos redemisse, & saluasse,
sed propter nostra bona opera etiam aliquid ad salutem nos
conferre.* Deinde dicunt, Antichristum non seipsum verbo
facturum Christum, vel Deum, sed opere; quia occupabit lo-
cum Christi, & Dei, in Ecclesia faciens se caput omnium fide-
lium,

num, quod est solius Christi. Ita Magdeburgenses loco notato: *Ostēdet, inquit, se pro Deo, et qui sit Christi vicarius, et caput Ecclesie, et possit figere, atque refigere articulos fidei.*

Denique, dicunt Antichristum non reiecturum idola; immò verò ea palàm adoraturum: quod probat ex Daniele, qui cap. 11. postquam dixerat Antichristum contra omnes Deos surrecturum, subiungit: *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, et Deum, quem ignorauerunt patres eorum, colet auro, et argento, et lapide precioso, &c.* Per Maozim autem intelligunt hæretici templorum ornatum, Missam, imagines, reliquias, & similia. Ita Illyricus in libro contra primum; & ceteri omnes.

Quod autem Apostolus dicit 2. Thessal. 2. Antichristum se eleuaturum supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; exponunt de Romano Pontifice, qui se vicarium Christi facit, & tamen usurpat maiorem auctoritatem, quam Christus habuerit. Id probat Illyricus in Catalogo testium (nam cetera non vidi hætenus quomodo probent) pag. 3. Quia nimirum Christus Matth. 24. declaravit, nihil aliud esse, ostendere se esse Deum, immò efferre se supra Deum, & eius cultum, quam in nomine Christi venire: Ex quo sequitur, Papam, qui se pro Christi vicario venditat, ipsum esse verissimum Antichristum. I T E M, Christus subiiciebat se Scripturæ, dicens, se, quæ faciebat & patiebatur, facere, & pati, vt Scriptura impleretur; Papa autem dixit, se posse dispensare contra Apostolum & Euangelistam; recta facere praua, & contra. Hæc est summa præcipuæ partis doctrinæ aduersariorum de Antichristo, quæ tota nititur solis Scripturis per nouas glossas perperam explicatis. In cuius rei signum, ne quidem vnum interpretem aut doctorem pro se citant.

Incipiamus ergo à primo, quod Antichristus sit palàm, & ex professo negaturus Iesum esse Christum, & proinde omnia eius Sacramenta tanquam seductoris cuiusdam inuenta conculcaturus. Probatur PRIMO ex dictis cap. 5. & 6. Nam si Antichristus natione, & religione Iudæus erit, & à Iudæis pro Messia recipietur, vt ostendimus; certè non prædicabit nostrum Christum, sed eum palàm oppugnabit. Nam alioqui per Antichristum Iudæi Christum nostrum reciperent, quod est absurdissimum. Præterea cum non possint esse duo Christi,

*Antichristus prædicat negaturus
Iesum esse Christum.*

Christi, quomodo poterit Antichristus seipsum Iudæis pro Christo obtrudere, nisi prius doceat, nostrum Christum, quæ præcessit, non fuisse verum Christum?

Probatur SECUNDO ex illo 1. Ioan. 2. *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Et hic est Antichristus.* Nam omnes hæretici dicuntur Antichristi, qui aliquo modo negant Iesum esse Christum: ergo ipse verus Antichristus simpliciter & omnibus modis negabit Iesum esse Christum. Confirmatur, quia per hæreticos Diabolus operari dicitur mysterium iniquitatis, quia occultè illi Christum negant. At Antichristi aduentus dicitur reuelatio, quia ille palam Christum negabit.

Præterea ex Patribus. HILARIUS lib. 6. de Trinitate, dicit Diabolum per Arianos conatum esse persuadere hominibus, Christum non esse Dei Filium naturalem, sed adoptiuum. At per Antichristum conaturum persuadere, ne adoptiuum quidem esse, ut funditus extinguat nomen veri Christi. HIPPOLYTUS Martyr in oratione de mundi consummatione, dicit, characterem Antichristi fore, ut homines cogantur dicere, nego Baptismum, nego signum crucis, & similia. VOSTRINVS lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 8. quaerit, an sciant Antichristo credibile sit aliquos baptizandos? & tandem respondet: *Profecto, inquit, tam fortes erunt, & parentes pro parentibus suis baptizandis, & hi qui tunc primitus credituri sunt illum fortem vincant etiam non ligatum.* Vbi B. Augustinus præsupponit, Antichristum non permissurum illos baptizari, & tamen aliquos pios parentes quiduis potius passuros, quam ut filij eorum non baptizentur.

HIERONYMVS in cap. II. Daniel. *Consurgere, inquit, habet Antichristus de modica gente; id est, de populo Iudaorum. Et tam humilis erit atque despectus, ut ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat principatum. Et hoc faciet, quia simulabit se ducem esse fœderis, hoc est, legis, & Testamenti Dei.* Vbi Hieronymus docet apud Iudæos regnum acquiraturum Antichristum, quia se ostendet zelatorem legis Iudaicæ. SEDVLIVS in 2. Thessal. 2. dicit Antichristum instauraturum omnes Iudaicas caerimonias, ut Euangelium Christi soluat. GREGORIUS lib. II. epist. 3. *Quia Antichristus, inquit, populum iudaizare compellit, et exterius legem*

*legis ritum reuocet, & sibi Iudaorum perfidiam subdat, colē
Sunt Sabbathum.*

Denique, tempore Antichristi ob vehementiam persecu-
tionis cessabunt publica officia, & sacrificia diuina, vt cap. 3.
ostendimus. Ex quibus euidens est, Antichristum non depra-
uaturum doctrinā Christi sub nomine Christianismi, vt hæ-
retici volunt; sed apertissimè Christi nomen, & Sacramen-
ta oppugnaturum, & Iudaicas cærimonias introducturum.
Quod cum Papa non faciat, euidens est, eum non esse Anti-
christum.

Iam verò quod Antichristus se palàm, & nominatim Chri-
stum esse dicet, non eius ministrum, aut vicarium, patet pri-
mò ex illis verbis Domini, Ioan. 5. *Si alius uenerit in nomine
suo, illum recipietis.* Vbi Dominus uidetur de industria addi-
disse, *in nomine suo*, præuidens dicturos Lutheranos, & Cal-
uinistas, Antichristum non venturum in nomine suo, sed in
nomine nostri Christi, quasi eius vicarium.

Præterea Patres passim hoc docent. IRENAEVS lib. 5. *Ten-
tabit, inquit, se Christum ostendere.* AMBROSIVS in cap. 21.
Luc. *Ex Scripturis, inquit, disputabit, se esse Christum.* THEO-
DORIVS in 2. Thess. 2. *Seipsum, inquit, Christum nomina-
bit.* CYRILLVS catechesi 15. *Inducet, inquit, quendam homi-
nem falsò seipsum Christum appellansem, ac per hanc Christi
appellationem Iudaos, qui uenturum expectant, decipientem.*
Breuiter omnes Patres, vt supra ostendimus, dicunt; Antichri-
stum pro Messia à Iudæis recipiendum: igitur se palàm & no-
minatim Messiam; id est, Christum faciet. Proinde Romanus
Pontifex, qui hoc non facit, vt notum est, nō est Antichristus.
Nam eo ipso quod se vicarium Christi dicit, asserit se non
esse Christum, sed eius ministrum.

Quòd verò Antichristus palàm nominabit se Deum, &
pro Deo colit: non solùm vsurpando aliquam Dei au-
toritatem, sed ipsum nomen Dei; probatur primò ex verbis
expressis Apostoli, 2. Thessal. 2. *Ita ut in templo Dei sedeat, o-
stendens se tanquā sit Deus.* Vbi Paulus non solùm dicit An-
tichristum sessurum in templo; nam etiam nos sedemus in
templis, nec tamen Antichristi sumus: sed etiam explicat mo-
dum, quo sedebit; nimirū quod sedebit vt Deus, cui soli pro-
priè erigitur templum. In Græco autem textu clarius hoc ha-
betur.

betur. Non enim dicitur $\omega\varsigma$ Θεός, tanquam Deus, sed $\omega\varsigma$ Θεός; id est, ostendens, quod sit Deus. Et sic intellexerunt hunc locum omnes veteres.

IRENAEVS lib. 5. Existēs, inquit, *Apostata*, & *latro*, quos *Deus* vult adorari. CHRYSOSTOMVS in hunc locum: *bebit*, inquit, *se pro Deo coli*, & *in templo collocari*. Et homo 40. in Ioannem; explicans hunc eundem locum: *Se*, inquit, *omnium Deum profitebitur*. Et infra: *Se maximum Deum esse gloriabitur*. AMBROSIVS in 2. Thessal. 2. *Ipsam Deum*, inquit, *se asseret, non Filium Dei*. Similiter omnes exponunt. Ex quo intelligimus, Romanū Pontificem, qui se non Deum, sed Dei famulum agnoscit, non esse Antichristum.

Quod denique Antichristus nō sit passurus vllum Deum, nec verum, nec falsum, nec vlla idola, probatur primo ex illis verbis Pauli 2. Thessal. 2. *Qui extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Vbi notandum, pro eo quod colitur, Græcè esse $\sigma\epsilon\lambda\alpha\sigma\mu\alpha$, quod Magdeburgenses volunt significare cultum; id est, actum colendi, non id quod colitur, ut inde probent, Apostolum non velle dicere, Antichristum non adoraturum idola, sed deprauaturū cultum veri Dei, immolando Sacramenta, vel eis addendo varias caerimōnas. Ac certè $\sigma\epsilon\lambda\alpha\sigma\mu\alpha$ propriissimè significat non actum, sed obiectum; id est, quod colitur, ut aram, delubrum, idolum, &c. Cultus enim dicitur $\sigma\epsilon\lambda\alpha\varsigma$, vel $\theta\epsilon\sigma\sigma\epsilon\lambda\epsilon\iota\alpha$, non $\sigma\epsilon\lambda\alpha\sigma\mu\alpha$. Vnde idem Paulus Act. 17. $\Delta\iota\epsilon\sigma\chi\mu\epsilon\nu\ \sigma\upsilon\ \gamma\delta\ \kappa\alpha\iota\ \alpha\nu\alpha\theta\epsilon\omega\tau\eta\tau\alpha\ \sigma\epsilon\lambda\alpha\sigma\mu\alpha\tau\alpha\ \upsilon\mu\omega\nu,\ \epsilon\upsilon\ \epsilon\gamma\omega\ \kappa\alpha\iota\ \beta\omicron\upsilon\mu\omega\nu$, &c. Præteriens, inquit, & considerans simulacra vestra, inueni iram, &c. Vbi apertissimè Paulus per $\sigma\epsilon\lambda\alpha\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ intelligit res ipsas quæ coluntur; ut delubra, aras, idola. Et Sap. 15. sic legimus: $\kappa\epsilon\tau\epsilon\lambda\omega\nu\ \gamma\delta\ \theta\epsilon\iota\ \tau\omega\nu\ \sigma\epsilon\lambda\alpha\sigma\mu\alpha\tau\omega\nu\ \alpha\nu\tau\omega\sigma\epsilon\iota\ \delta\omega\nu\ \alpha\nu\tau\omega\sigma\epsilon\iota\ \mu\epsilon\nu\ \epsilon\zeta\eta\sigma\epsilon\nu,\ \epsilon\kappa\epsilon\iota\nu\alpha\ \delta\epsilon\ \sigma\epsilon\lambda\alpha\sigma\mu\alpha\tau\omega\sigma\epsilon\iota\ \sigma\epsilon\iota\ \pi\omicron\tau\epsilon$. *Melior est homo idolis, quæ ipse fecit. Nam ipse* &c. *aliquando, illa autem nunquã.* Quem locum nescio, an quis ita pervertere audebit, ut neget voce $\sigma\epsilon\lambda\alpha\sigma\mu\alpha\tau\omega\nu$ significari ipsa idola, siue simulacra, quæ manibus hominum fabricantur; quæ quæ vitam habere videntur, cum tamen non viuant.

Itaque

Itaque omnes Græci, & ipse etiam Erasmus, cui multum tribuunt omnes hæretici, tam in versione, quam in annotationibus, docet *ὁ ἄνακτα* debere verti numen. Deinde verba Danielis, cap. II. clarissima sunt; *nec quenquam Deorum curabit, sed contra vniuersa consurget.* In quem locum Hieronymus scribens, dicit, non posse hæc intelligi de Antiocho, vt volebat Porphyrius; quoniam constat, Antiochum adorasse Deos Græcorum; sed intelligi de Antichristo, qui nullum Deum colet.

Accedat vltimò consensus veterum: IRENAEVS lib. 5. *Idola quidem, inquit, seponet, ad suadendum quòd ipse sit Deus: se autem extollet vnum idolum.* HIPPOLYTUS serm. de cõsummatione: *Antichristus, inquit, idololatriam non admit- tet.* CYRILLVS catech. 15. *Idola, inquit, odio habebit Antichristus.* CHRYSOTOMVS in hunc locum: *Extollitur, inquit, super omne quod dicitur Deus, aut numen. Non enim ad idololatriam adducet ille.* Idem docet in hunc locum Theophylactus, OEcumenius, Theodoretus, qui etiam pulchrè notat, Diabolum mirabiliter ludere, & lusurum cum filiis perditionis. Antiquis enim temporibus suadebat multos Deos falsos, & varia idola adoranda, & eo modo plurimos lucrabatur: Tempore autem Antichristi, quia videbit per doctrinam Christi toto ferè orbe exacta idola, & falsorum Deorum multitudinem; ipse etiam accusabit idola, & eorum multitudinem, & eo modo adhuc plures decipiet. Ex quo apparet, Pontificem, qui secundum Catholicos agnoscit Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; & secundum hæreticos, adorat multa idola, nullo modo dici posse Antichristum.

At, inquit, Daniel capite II. affirmat, ab Antichristo colendum Deum Maozim auro, & argento, & lapidibus preciosis.

Responderetur PRIMO, per Deum Maozim, qui interpretatur fortitudinum; id est, fortissimus, posse intelligi ipsum Antichristum. Siquidem illud, *Venerabitur*, in Hebræo non est *שִׁתְּחַוָּהוּ* adorabit, sed *יִבְרַח* glorificabit; quomodo Psalmo 90. dicit Deus: *Eripiam eum, & glorificabo eum.* Hebraicè *אֲבַרְכָּהוּ* & certè Deus non glorificat homines subiiciendo se illis, sed eos exaltando. Sic igitur Antichristus seipsum glo-

rificabit, cum se ab omnibus adorari faciet. Vnde & septuaginta verterunt *δοξάσει*. & hoc modo exponit THEODORUS TYRS: Deum, inquit, fortem & potentem, hoc enim significat Maozim, seipsum appellat. Illud enim in loco suo pro seipsum posuit. Eriget enim sibi ipsi templa, & auro, argento, & lapidibus preciosis ipse exornabit. Hæc Theodoretus.

SECUNDO dici potest, quod mihi magis placet, Antichristum Magum futurum, & more aliorum Magorum, occulte Diabolum ipsum, cuius ope mirabilia faciet, adoratum: hunc vocari Deum Maozim. Porro Maozim existimarem esse nomen Dei; sed loci cuiusdam munitissimi & secreti, in quo erunt præcipui thesauri Antichristi, & in quo, ut diximus, Diabolum ille adorabit. Sequitur enim apud Danielem, *faciet, ut muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognovit, & verè מלך tam fortitudinem, quam arcem significat.* Hoc modo exponit Lyranus. Quod autem necessarium dicendum sit, Antichristum esse ipsum Deum Maozim; vel si est alius, alius, non nisi in occultissimo loco, & clam omnibus ab Antichristo adorandum; cogunt nos verba ipsa Danielis, que alioqui secum ipsa pugnarent. Si enim nullum Deorum adorabit, quomodo palam idola colet?

Iam verò duo illa argumenta Illyrici leuissima sunt. Nam in primo argumento ter peccat Illyricus. PRIMVS, quod transferat, à Christo verba Pauli explicari, cum Paulus pro Christi verba explicare debuerit. DEINDE, quod dicit Matthæi 24. venire in nomine Christi, idem significare, atque esse Christi Vicarium. Repugnat enim huic Illyrici explicatio ipsa Christi explicatio. Nam ubi Dominus dixisset: *Multi venient in nomine meo, mox addidit explicans, dicentes: Ego sum Christus.* Itaque venire in nomine Christi, eo loco est vituperare sibi Christi nomen. Quod olim Simon Magus fecit, teste Irenæo lib. 1. cap. 20. & nostris temporibus David GEORGIVS. Et tandem id ipsum Antichristus faciet. Papa verò hoc ipso quod se Vicarium Christi nominat, se Christum non facit.

TERTIO peccat Illyricus, quod Christum ineptum interpretem Pauli facit. Nam non rectè exponit illud Pauli (*Extollit se super omnem Deum*) per istud (*multi venient in nomine meo; id est, Vicarios meos se facient.*) Nam Vicarius Dei

Dei non est super omnem Deum, sed infra omnem Deum: Sicut Vicarius Regis est infra omnem Regem. Nec enim potest cogitari aut fingi, quemadmodum qui se Vicarium Regis alicuius esse profiteretur, idem se supra omnes Reges esse gloriatur. Ex quo apparet cæcitas atque impudentia aduersariorum, qui ea interdum effutiunt, quæ vel ab ipso communi sensu abhorrent.

Ad illud autem argumentum Illyrici, quo probabat, Papam usurpare auctoritatē maiorem, quàm habeat Christus: **R E S P O N D E O**, propositionem & assumptionem argumenti illius duo esse mendacia; & præterea consequentiam nihil valere. **P R I M O** enim falsum est, Christum se subiecisse Scripturis; cùm constet, ipsum esse auctorem Scripturarum, & proinde super Scripturas. Cùm autem legimus, Christum fecisse quæ faciebat, ut implerentur Scripturæ; illud, & nō causam, sed euentum significat, ut Chrysostomus & Augustinus docent, in cap. 12. Ioan. Non enim Christus ideo mortuus est, quia Isaias hoc scripsit; sed ideo Isaias hoc scripsit, quia erat futurum.

D E I N D E falsum est etiam, Pontificem vnquā dixisse verbo, aut facto, se posse dispensare contra Euangelistam, aut Apostolum. Nam etsi potest dispensare in præceptis positivis Apostolorum, non tamen hoc est contra Apostolum, sed iuxta Apostolum; qui sine dubio nouerat Apostolicam potestatem, qua ipse præditus pro tempore aliquid in Ecclesia statuerat, futuram esse in successoribus, qua possent ipsi illa eadem moderari, vel mutare, prout Ecclesiæ expediret. In Euangelicis autem; id est, diuinis præceptis, nemo vnquam Catholicus dixit, posse Pontificem vllō modo dispensare.

Deinde consequentia etiam est mala. Nam in maiori propositione loquitur Illyricus de subiectione Christi sub Scripturis, nō quoad præcepta, sed quoad prophetias: Nec enim ignorabat Illyricus, Christum soluisse Sabbathum, & abrogasse legem cærimoniam: In minori autem loquitur de præceptis; atque ita argumentum habet quatuor terminos, & nihil inde concludi potest. Hæc de doctrina Antichristi sufficiant hoc loco.